

2. Cum in scripturis Filius dicatur "splendor gloriae" (Heb 1, 3), nemo dubitat analogiam trinitariam ex sole et splendore repetitam aliquod in scripturis fundamentum habere. Sed nostris praesertim temporibus saepius ~~ant~~ auditur analogiam trinitariam et psychologiam omni fundamento scripturistico carere. Quod minime verum esse censemus.

Nisi enim quis apostolos et evangelistas vel parvulos vel amentes fuisse censeat, eos exercite propriam rationalitatem et honestatem novisse negare non possit. Neque serio dubitari potest eosdem inclusive de probitate intellectuali ~~et~~ deque morali honestate esse locutos

NOTAE

4 Quam facimus distinctionem inter partem theologiae dogmaticam et partem positivam, neque res olim postulabat, neque usus agnoscebat. Inde enim a fine saec. XVI theologia dicebatur dogmatica prout a morali distinguebatur, et similiter theologia dicebatur positiva ut a scholastica, systematica, speculativa divideretur (cf. M.-J. Congar, art. Théologie, DTC 29[1946], 424-430). Quae sane divisiones, sicut theologiae scholasticae positivam investigationem non praeviderunt, ita theologiam dogmaticam et theologiam positivam adaequate non distinxerunt.

Neque inconueniens erat haec divisio, neque incongrua haec terminologia, quamdiu fines dogmaticos vel apologeticos plus minus directe quaerebant qui sese nominabant positivos theologos. Ante pauca decennia erat quaedam theologia biblica quae theses dogmaticas demonstrare contendebat; at longe alia est theologia biblica quam descripsit suasitque A. Descamps (Réflexions sur la méthode en théologie biblique, apud Coppens-Descamps-Massaux, Sacra Pagina, I, 132-157, Paris-Gembloux 1959). Ante pauca decennia magnum illud opus a J. Lebreton compositum, Histoire du dogme de la Trinité, ita fini apologetico et dogmatico inserviebat ut theologia positiva dici posset quin positiva a dogmatica distingueretur; sed alterius generis ^{esse solent} ~~tunt~~ recentiora studia patristica.

Rebus ergo mutatis, terminologia mutetur necesse est. Quamdiu enim non distinguuntur pars dogmatica parsque positiva, tamdiu haud deerunt vel qui studia positiva reprehendant quia nunc finibus dogmaticis minus directe inserviant, vel qui studia dogmatica velint, non proprium prosequi finem propriamque determinare methodum, sed ~~rei~~ partis positivae tam finem quam methodum vel derelictam retinere vel novam ad amussim sequi.

~~quae evoluerunt pars dogmatica sicut evoluita sit pars positiva.~~